



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

S. Thomas M. 14. Aprilis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**

carcere templum fecit. Subinde ipsâ sacri Paschæ nocte captivum à parente subornatus Pseudo-episcopus adit, & ad facerrimam scilicet mensam invitât : sed HERMENEGILDVS fidenter negat se in potestate futurum, etiam in vinculis Catholicæ libertatis memor. Eapropter irâ succensus Leovigildus, cum religione patrem etiam exivit, ejusque imperio cadit filius securi caput diminutus, pulcherrima Paschæ victima, sed non à parente danda. Cæterum Martyrem continuò è cælo voces laudârunt, & delapsæ indidem lampades exornârunt. Mox etiam piis manibus parens impius morte suâ parentavit, adductis post ad Catholicam Fidem omnibus VVisigothis. Ita pietas quam decollasse in HERMENEGILDO impia hæresis putavit, toto regno caput extulit. Ex S. Greg. M.l. 3. Dial.

*Melius est contristare parentes, quàm contristare Dominum JESVM. Hic enim nos creavit & salvavit illi saepe suos amando perdidit. Ne te moveant tuorum lacryma, ne tu tibi ipsi æternas lacrimas parias.* S. Clim. Grad. 3.

S. THOMAS M. 14. Aprilis.

**N**ata est THOMAS Alexandria, à parentibus benè ac pudicè educata, & demum nuptiis tradita, ut antè Virginibus, sic Matronis postea præluxit. Sed rarò castitas inter multos habitata. Ausus est focer, cujus in domo cum marito degebat, omnis juris atque adeò pietatis in filium oblitus, conjugalem in nuru fidem tentare. Cohorruit illa ad tam infanda, & monitis precibus lacrimas addidit. At ille, cui pudorem non potest, vitam extorquet, mediamque, non audit

audita crudelitate, secat. Enimverò non tulit vindex Numen, sed parricidium extemplò cæcitate multavit. Interea adsunt, qui maritum castissima volunt conventum; vident sanguini suo innatare pudicitiam; vident cæco vestigio muris oberrantem Susanneum senem; quis tragœdiam hanc dederit? rogant. Non ausus est diffiteri auctorem se esse amens Oedipus; sed cum atrocitatem criminis, quam videns non viderat, nunc cæcus vel sole clariorem aspiceret, non dubitavit ultrò mortem orare, & capitis in se sententiam ipse pronuntiare. Et verò hunc facilè judices audiverunt, cæcumque duci scilicet jusserunt: THOMAIDIS verò tumulus ceu Martyris cultus a Cœnobitis Scetanis, Asylon deinceps fuit eorum, qui hostem Cupidinem fugerent. Nimirum jam antè cæcutiens puer oculis suis timet. *Ex Meneis.*

*Quoties te sentis turpibus cogitationibus pulsari, toties pone ante mentis oculos, quomodo Christus crucifixus est pro te. Redemptor tuus moritur pro te, & tu nescis cujusmodi sordidâ cogitatione sordidaris in mente. Hug. l. 3. de Ani.*

S. LYDWINA V. 14. Aprilis.

LYDWINA formam obesse castitati videns, dignum virgine rata est votum, deformitatem à cælo petere. Audiit hoc, & omnia morborum examina misit: iis ita omnis gratia defluxit, ut nemini jam placeret cadaver domum ducere. Sed sic illa demum formosa CHRISTO visa est. Hic ex amantibus solus jam ægræ cum MATRE effidere; solus amoris sui & patientiæ symbola per Angelos lectulum ambientes ostentare: quorum certè unâ recordatione LYDWINA cruciatus supra  
I quam